Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">



Jacobus 345

speculo considerauit enim se et abiit: et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem prospexerit in legem perfectam libertatis et perseuerauerit non auditor obliuiosus factus: sed factor operis hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam: sed seducens cor suum huius vana est religio. Religio munda et immaculata apud deum et patrem hec est visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et immaculatum se custodire ab hoc seculo:

Fratres mei: Nolite in personarum acceptione habere fidem domini mei ihesu christi gloriae. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida: introierit autem et pauper in sordido habitu: et intendatis in eum qui indutus est veste preclara et dixeritis ei: tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum. Nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum. Audite fratres dilectissimi: Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide et heredes regni: quod repromisit deus diligentibus se. Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos et ipsi attrahunt vos ad iudicia. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod inuocatum est super vos. Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas: diligetis proximum tuum sicut te ipsum bene facitis. Si autem personas acci-

piitis peccatum operamini: redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem seruauerit offendat autem in uno: factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non moechaberis: dixit et: Non occides. Quod si non moechaberis: occides autem: factus es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia illi: qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium. Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere opera autem non habeat. Numquid poterit fides saluare eum. Si autem frater et soror nudi sint et indigeant victu cottidiano: dixerit autem aliquis ex vobis illis ite in pace: calefiamini et satiamini: non dederitis autem eis que necessaria sunt corpori: quid proderit vobis. Sic et fides si non habeat opera: mortua est in semetipsa. Sed dixerit aliquis: Tu fidem habes et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: et ego ostendam tibi meam ex operibus fidem. Tu credis quoniam unus est deus: bene facis: et demones credunt et contremiscunt. Vis autem scire o homo inanis: quoniam fides sine operibus otiosa est. Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens filium suum ysaac super altare. Videns quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est. Et impleta est scriptura dicens: Credidit abraham deo: et reputatum est illi ad iustitiam et amicus dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum. Similiter et rahab meretrix